# Badische Landesbibliothek Karlsruhe

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


## Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

**Jacobus <de Voragine>**

**[S.l.], [14. Jahrh.]**

De sancto Ignacio

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

cupiit ad maturitatem sive iuvenilem eta-
tem. hyemps vero ad senectutem. Vel secun-
dum quod in vere ut simus puri per innocen-
ciam. In estate ut efficiamur iuvenes per
constanciam. In autumpno ut efficiamur
maturi per modestiam. In hyeme ut effi-
ciamur senes per prudentiam et hones-
tam vitam. Vel quarto ut satisfaciamus quic-
quid per illas iiii etates offendimus.
Octava ratio est magistri Wilhelmi
altisiodorensis. Ieiunamus enim in iiii anni tempori-
bus ieiunium. Ut in illis iiii temporibus de-
linquimus emendemus. Et fiunt per tres
dies ut satisfaciamus in die quod de-
linquimus in mense. Et fiunt in iiii feria quia
tunc dominus a iuda traditus fuit. In vi
quia tunc deus crucifixus fuit. In sabbato quia
tunc in sepulchro iacuit et quia tristes erant
apostoli de morte sui domini. De sancto Ignacio
Ignatius dicitur quasi ignem paciens vetioie.
divini amoris. Ignatius fuit disci-
pulus sancti Iohannis et episcopus Anthiochenus.
Hic epistolam ad beatam virginem scripsis-
se legitur in hunc modum. Christifere Marie
suus Ignatius. Me neophitum Iohannisque
tui discipulum confortare et consola-
ri debueras. De Ihesu enim tuo percepi mi-
ra dictu et stupefactus sum ex auditu.
A te autem que semper fuisti ei familiaris et co-
niuncta et secretorum eius conscia desidero
ex animo fieri certior ex auditu. Valeas.
et neophiti qui mecum sunt ex te per te et
in te confortentur. Beata autem virgo
dei genitrix Maria in hec verba sibi rescri-
bit. Ignatio dilecto et condiscipulo humilis
ancilla Ihesu. De Ihesu que a Iohanne au-
disti et didicisti vera sunt. Illa credas illis
hereas. et christianitatis votum firmiter teneas.
et mores et vitam voto conformes. Ve-
niam autem una cum Iohanne te et qui tecum sunt visi-

tare. Sta et viriliter age in fide. nec te commove-
at persecutionis austeritas. sed va-
leat et exultet in deo salutari. Tan-
te autem auctoritatis beatus Ignatius extitit
quod et Dyonisius Pauli apostoli discipulus qui fuit
in phylosophia tam summus et in divina scientia tam perfectus quod
verba beati Ignatii ad confirmationem dic-
torum tanquam pro auctoritate adducit.
Cum enim ut ipse in libro de divinis nominibus
attestatur quidam nomen amoris in divinis no-
minibus reprehenderent dicentes non esse nomen
amoris sed dilectionis. Volens ostendere
hoc nomen amoris ponendum in divinis esse
verbum ait. Scribit autem divus Ignatius.
Amor meus crucifixus est. Legitur in ecclesiastica hy-
storia. Quod Ignatius audivit angelos can-
tantes antiphonas super montem quendam
et exinde instituit antiphonas in ecclesia cantari
et psalmos secundum antiphonas intonari. Cum
igitur beatus Ignatius diu pro pace ecclesie dominum
exorasset non sibi sed periculum in fine me-
tuens Traiano imperatori occurrit anno
domini c. de victoria redeunti et cunctis
omnibus mortem minanti occurrit et li-
bere se christianum esse asseruit. Quem Traianus
ferro vinctum x militibus tradidit
et Romam adduci precepit minas eis
quod traderetur ibidem bestiis devorandus.
Cum igitur Romam duceretur ad omnes ecclesias epistolas
destinabat et eas in fide christi confirmabat.
Inter quas unam scripsit ad romanam
ecclesiam sicut legitur in ecclesiastica hystoria.
Rogans ne suum martyrium impediret. Ubi
sic dicit. A syria usque ad romam cum bestiis
terra marique depugno die ac nocte
connexus et colligatus x leopardis mili-
tibus dico ad custodiam datis qui ex benefi-
ciis nostris seviores fiunt. Sed ego eorum ne-
quitiis magis erudior. O salutares
bestie que parantur michi quando venient quando

emittentur qui eos lacerabit seu carnibus
meis. Invitabo eas ad devorationem
meam et deprecabor ne forte ut in non-
nullis faciunt timeant tangere corpus
meum. Quod immo et si cunctabuntur ego
vim faciam ego me ingeram. Date quaeso ut
veniam ego novi quid mihi expediat. Ignes
cruces bestiae dispersiones ossium discissi-
ones omnium membrorum et totius corporis
omnes poenae unum poenae supplicia diaboli
arte quaesita conveniant. Tantum ut Christum
merear adipisci. Cum ergo Romam venisset
et ad Traianum adductus fuisset dixit ei
Traianus adductus fuisset dixit ei Traianus.
Ignati cur Antiochiam rebellare
facis et gentem meam ad christianitatem convertis.
Cui Ignatius. Utinam et te possem convertere.
Ut semper obtineres fortissimum principa-
tum. Cui Traianus. Sacrifica diis nostris
et sacerdotum omnium princeps eris. Cui Ig-
natius. Nec diis tuis immolabo nec dig-
nitatem tuam affecto. De me quicquid vis
facere poteris sed nullatenus me muta-
bis. Traianus dixit. Plumbatis scapu-
las eius contundite et ungulis latera
eius laniate et duris lapidibus eius vul-
nera confricate. Cumque omnia haec in eum fe-
cissent et ipse immobilis permaneret.
Dixit Traianus. Carbones vivos affer-
te et ipsum nudis plantis desuper am-
bulare facite. Cui Ignatius. Nec ignis
ardens nec aqua bulliens poterit in
me Iesu Christi extinguere caritatem.
Cui Traianus. Maleficia sunt haec quod tan-
ta patiens non consentis. Cui Ignatius.
Nos christiani malefici non sumus sed in le-
ge nostra maleficos vivere prohibemus.
Sed vos malefici estis qui idola ad-
oratis. Traianus dixit. Dorsum eius un-
gulis laniate et plagas eius sale per-
fundite. Cui Ignatius. Non sunt condigne
passiones huius temporis ad futuram
gloriam quae revelabitur in nobis. Traianus dixit.
Iam nunc eum tollite et vinculis ferre-
is alligate in cippo. In imo carceris
custodite sine cibo et potu esse eum per-
mittite. Et post triduum devorandum
eum bestiis date. Tertia ergo die se-
natus et imperator omnisque populus conveniunt ut
viderent episcopum Antiochenum qui erat cum
bestiis pugnaturus. Dixitque Traianus. Quoniam
Ignatius superbus et contumax est ipsum
alligate et duos leones ad ipsum la-
xate ut nec illas reliquias ex eo
relinquant. Tunc sanctus Ignatius dixit ad populum
qui astabat. Viri romani qui huic aspi-
citis etiam non sum immemor laboravi quia
non propter pravitatem sed propter pietatem haec patior.
Deinde coepit dicere sicut legitur in hystoria
scolastica. Frumentum Christi sum et bestiarum
dentibus molar ut panis mundus
efficiar. Hoc audiens imperator dixit.
Grandis est tolerantia christianorum.
Quis graecorum tanta toleraret pro suo
deo. Respondit Ignatius. Non hoc mea virtute
sed Christi adiutorio tolero. Tunc sanctus Ig-
natius leones coepit ad se invitare
ut ad devorandum accurrerent. Accur-
rentes ergo duo saevi leones ipsum tan-
tum perfocaverunt. Carnem tamen eius nullatenus
tetigerunt. Traianus autem hoc videns cum nimia
admiratione discessit. Praecipiens
ut nullus prohiberet si quis vellet tollere
corpus eius. Quapropter christiani corpus eius
tulerunt et ipsum honorifice sepelierunt.
Cum autem Traianus quasdam litteras recepisset
in quibus Plinius secundus christianos quos
imperator occidi iusserat plurimum commenda-
bat doluit de his quae sancto Ignatio in-
tulerat et praecepit ut nullus christianus

inquirentes, sicque eum martyrem occiderunt. Legitur autem quod beatus Ignatius inter tot tormentorum genera numquam ab invocatione nominis Jhesu Christi cessabat. Quem cum tortores requirerent cur hoc nomen totiens replicaret, ait: Hoc nomen cordi meo inscriptum habeo et ideo ab eius invocatione cessare non valeo. Post mortem autem eius illi qui audierant volentes curiosi experiri, cor eius ab eius corpore avellunt et ipsum scindentes per medium totum cor inscriptum hoc nomine Jhesus Christus litteris aureis invenerunt. Unde ex hoc plurimi crediderunt. Unde sic dicit beatus Bernardus super psalmum Qui habitat: Magnus ille Ignatius auditor discipuli quem diligebat Jhesus martyr, et ipse cuius pretiosis reliquiis nostra ditata est paupertas, Mariam quandam in pluribus quas scribit epistolis Christiferam consalutat. Egregius plane titulus dignitatis et commendatio honoris immensi.

## De sancto Cyriaco

Cyriacus a Marcello papa dyaconus ordinatus, captivus et ad Maximianum deductus, iussus est cum sociis suis ut terram foderet et ad locum qui ibi construebatur suis eam humeris deportaret. Ubi erat sanctus Saturninus senex quem Cyriacus et Sysinnius ad portandum iuvabant. Prefectus iussit sibi Cyriacum presentari, et cum eum Apronianus adduceret, subito vox cum luce de celo veniens dixit: Venite benedicti patris mei. Et tunc Apronianus credidit et se baptizari fecit, et ad prefectum confitens Christum venit. Cui prefectus: Sic tu Christianus factus es? Cui ille respondit: Ve mihi quia perdidi dies meos. Respondit prefectus: Vere nunc perdes dies tuos. Et iussit eum decollari. Saturninus autem et Sysinnius cum sacrificare nollent, diversis suppliciis affecti tandem decollati sunt. Filia Dyocletiani nomine Arthemia a demonio vexabatur. Clamabat igitur demon dicens: Non exibo nisi Cyriacus dyaconus veniat. Qui cum ad eam adductus Cyriacus demoni imperaret, respondit: Si vis ut exeam, da mihi vas aliquod in quod intrem. Respondit Cyriacus: Ecce corpus meum, si potes ingredere. Cui demon: In vas tuum ingredi non possum quia undique est signatum et clausum. Sed si eicis me, scito quod in Babyloniam faciam te venire. Et cum coactus exisset, Arthemia clamavit dicens: Video deum quem predicat Cyriacus. De longe vidit qui ipsam a demone liberavit. Cum autem Cyriacus ex gratia Dyocletiani et Serene uxoris eius in domo quam ei dederant securus viveret, venit nuncius a rege Persarum ad Dyocletianum rogans ut ad se Cyriacum mitteret, quia filia sua a demone vexabatur. Ad preces igitur Dyocletiani Cyriacus cum Smaragdo et Largo navi impositis necessariis in Babyloniam letus vadit. Cumque ad puellam pervenisset, demon per os eius clamavit dicens: Fatigatus es Cyriace? Cui Cyriacus respondit: Non sum fatigatus, sed ubique dei auxilio gubernatus. Ait demon: Tamen ego ad quod volui te perduxi. Tunc Cyriacus dixit demoni: Imperat tibi Jhesus Christus ut exeas. Et statim exiens demon dixit: O nomen terribile quod me coartat exire. Et sic sanata puella cum patre et matre et multis aliis baptizatur. Et cum multa sibi offerrent, recipere noluit, sed xlv diebus in pane et aqua ibidem ieiunans tandem Romam rediit. Post duos autem menses Dyocletianus defunctus est. Cui Maxentius succedens iratus de sorore sua Arthemia Cy-